



174

ANIMADVERSIONES IN CLASSEM SEPTIMAM

*Agentem de Pulveribus solutivis
pagina 69. & seq.*



N hac Classe, cum a priore parum differat, nisi penes *pulverum*, quos continet, *effectum*; pariter pauca occurrunt animadvertenda, quorum præcipuum illud est, quod maximè attendendum sit, ut *Diagridium* in minutissimum pulverem seorsim redigatur, alioquin Ventris Tormina, Lancinationes & quandoque Superpurgationes, Vomitiones, aliaque Symptomata induciturum.

Unum adhuc superest in *Pulvere Diacarthami*, quod, quin paucis attingam, tacitus præterire non possum: nimirum inutile hujus pulveris pondus, frustranea inquam & ridicula adjectio *Specierum Diatragacanti frigidi*, quæ, in quem finem fiat, ingenuè fateor, assequi nequeo: nisi fortè ea contingat, ut cum veteribus loquendo *Frigus potentiale hujus speciei* temperet *Purgantium Calorem*, aut saltem earum partes *glutinosa & viscida Purgantium acrimoniam*, illorum partes obvolvendo, obtundant: at, si prius intenditur, cur *Calor* ille prætensus *Aromaticum* additione augendus, cum

K 3

ca

ea ad minus tantum *Caloris* in se contineant, quam prædicta *Species Frigoris*, adeoque Actiones mutuae infringantur, ac consequenter ea saltem ratione, & *Species*, & *Aromata* frustra adduntur: si autem posterius: cur *Aromatum acrium* adjectione *Acrimonia Purgantium* adaugetur, & *Specierum adjectarum Visciditas* eorum *Calore* dissolvitur? Certè ex hac contrarietate, quæ aded in hisce manifesta existit, facile videre est, quo fructu & efficacità talia in eodem Pulvere conglomerentur, & consequenter quam frigidè frigida hæc *Species Pulveri Diacarthami* addita sit.

Quæ de *Specie* hac *composita* dicta sunt, pari ratione de *simplicibus* pluribus aliis pulveribus sine ratione ac iudicio adjectis, queunt prædicari.



ANI-